Труды Киевской Духовной Академии

De auctoritate sacro-Sanctae Synodi Rossicae, tanquam Concilii Ecclesiae Repraesentativae, summam rerum ecclesiasitcarum administrationem procurantis [1]).

Ubi sunt duo vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.
Matth. XVIII. 20.

Inter alias gravissimas rationes, quibus salus militantis adhuc Ecclesiae Christi a Deo ter-optimo promovetur, vel maximi momenti est Magistratus Ecclesiasticus. Etenim si quaelibet bene ordinata respublica extra certam administrationem ne cogitari quidem potest; Ecclesiam quoque christianam administratione suâ, nec non legibus ac statutis munitam esse debere, dummodo ut societatem bene institutam illam cogitaveris, quamprimum sese oculis offert. Verum quidem est, Ecclesiam adinstar fontium mariumque omnes orbis terrestris partes permeare, cunctas aeque civitates tingere et imbuere; ast dari peculiares Ecclesiae relationes, quas illa cum caeteris non confundit, quaeque idcirco peculiarem Ecclesiae Magistratum, diversum a Magistratu Politico, requirunt, res ipsa sat liquido docet.

[1]) Это курсовое сочиненіе на степень магистра, писанное назадъ тому 40 лѣтъ студентомъ академіи Д. Подгурскимъ.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Nemo dubitat, quin potestas Magistratus Ecclesiastici Ecclesiae Ministris competat [1]); at summam et prope divinam ejus auctoritatem in Conciliis s. Synodis consistere, et sacra scriptura et Annales ecclesiastici satis superque evincunt. Etiam in Veteri Testamento ejusmodi conventus ecclesiastici celebrati fuere; in Novo autem eo saepius eorum necessitas obviam sese offerebat, quo amplius Ecclesia Christi erat dilatata et quo minus Deo placuerat immediatae magisque conspicuae (ut olim fuerat) gubernationis suae signa manifestare. Proinde sacros coetus Christus discipulis suis eorumque successoribus, Ecclesiae nimirum Patribus seu Ministris, convocare non modo non interdixit, immo potius omnibus conventibus, in nomine Ejus factis, invisibilem adsistentiam suam promisit, ut patet ex hisce verbis: ubi sunt duo vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum [2]). Jam verò exemplo hac in re ipsimet praeivere Apostoli, controversiam in Ecclesia Antiochena, de observatione legis Mosaicae obortam, in synodo Hierosolymitana felici eventu decidentes [3]), qui cum possent seorsim singuli componere lites, tamen ut eo evidentius concordiae exemplum praeberent non sine mutuo consilio controversiam illam tractare voluerunt. Unde origo in Ecclesia christiana synodorum s. conciliorum repeti solet, quae deinceps e singulis aetatibus celebrari coeperunt.

Quousque Ecclesia Christi in varias sectas nondum erat scissa, pari modo ac imperium christianarum gentium politicum unitatem redolebat et conservabat; eousque inter varia etiam oecumenica Concilia convocari poterant et reverà celebrata fuerant. Quanta sit eorum auctoritas in Hierarchia

[1]) Act. XX, 28.
[2]) Matth. XVIII, 20.
[3]) Act. XV.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Ecclesiastica, vel inde patet, quod nunc quoque ab omnibus propemodùm Ecclesiis christianis ad consultandas et decidendas res suas recipiuntur. Inde autem ab illis temporibus, quando deploranda epocha illa dissidii in Ecclesiâ evenerat, ad nostram usque aetatem, varias ob causas, tam ecclesiasticas, quam politicas, convocatio synodorum oecumenicarum ferè impossibilis facta est. Quamobrem haud paucis abhinc annis quaelibet Ecclesia, certis limitibus nationis suae inclusa, auctoritatem Magistratus Ecclesiastici nec non peculiarem potestatem in rebus dubiis et arduis Concilia gyro in suo convocandi sibi vindicavit.

Russorum Ecclesia minimè recessit a sanctâ Apostolicâ Ecclesiâ Graecorum, a qua illa originem suam coepit et quacum pacem continuò servat, unde et audit Graeco-Rossica Ecclesia. Qua de causâ a primis incunabulis suis omnis ejus administratio penes Patriarcham Constantinopolitanum erat, deinceps a proprio Patriarchâ Rossico pendebat, quo temporum intervallo etiam varia Concilia ad consultandas et decidendas res, Ecclesiae incolumitatem, defensionem, bonum, ordinem, vel decus et ornamentum concernentes, celebrabantur, donec tandem PETRUS MAGNUS totius Rossiae IMPERATOR et AUTOCRATOR, qui merito Pater Patriae audit, nec injustè Pater Ecclesiae potest dici, omnium ferè ordinum faustè peractâ reformatione, curam ordinis etiam ecclesiastici suscepisset, et institutâ s. sanctâ synodo semel ac in perpetuum, atque hunc in finem edito STATUTO CANONICO sive ECCLESIASTICO, quod vulgò RFGULAMENTUM dicitur, Magistratui sanctae orthodoxae Russorum Ecclesiae formam novam dare, vel potius hanc ad veterem illam revocare, voluisset. Quae AUGUSTISSIMI MONARCHAE voluntas 1721 anno Domini Jannuarii 25 die rata [1]), prosperum faustumque, Deo adjuvante, initium recepit.

[1]) Vid. Духов. Регламм. edit. 1802. Mosq. pag. 4.

*

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Quodsi verò Magistratus cujuscunque Ecclesiae christianae dignus est, quem perscrutemur, quanam polleat auctoritate: quid fuerit dignius magisque consentaneum mihi, qui sum avitae Graeco-Rossicae Religionis (in visceribus carissimae Patriae nostrae haerentis) alumnus nec non sacri ordinis familiae adoptatus, quam de sanctissimae, totius Rossicae Ecclesiae gubernacula tenentis, Synodi auctoritate tractare?

De auctoritate s. sanctae Synodi Rossicae modicè ac modestè tractaturus, haec potissimum tria: 1) utrum inclyta synodus isthaec legitimâ potestate sit convocata et instituta? 2) utrum adsint huic coetui sacro legitima membra sub legitimo praeside? 3) utrum in obeundis muniis suis perpetuus ille conventus legitimâ vi et efficacitate gaudeat, nec ne?— proponere mihi ausus sum; haec quippe, ex omnium ferè consensu, sunt necessaria legitimi Concilii requisita, unde omnis quoque Ecclesiae Repraesentativae auctoritas pendet. In omnibus consulenda est nobis e sacrâ Scripturâ nec non Annalibus Ecclesiasticis praxis Ecclesiae, tum veteris judaicae, tum christianae primaevae, quarum Magistratum Ecclesiasticum quasi divinâ auctoritate fuisse indutum, nemo inficias ibit. Hic est lapis lydius, ad quem auctoritas Repraesentativae Ecclesiae nunc exigenda est.

I.

UTRUM SACRO-SANCTA SYNODUS ROSSICA LEGITIMA POTESTATE SIT CONVOCATA ET INSTITUTA?

Inde ab illis temporibus, quando Ecclesia Dei e statu Patriarchali in eum statum, quo legibus divinitùs per Mosen latis erat munita, redierat et in Republicâ Politica, legibus divinae originis stabilitâ, ut anima in corpore apparuerat, potestatem convocandi sacros coetus, ad res dubias et arduas

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

dijudicandas, solis Ministris Ecclesiae licitam non fuisse, sed toti Ecclesiae, id est, voluntati et consensui tum statûs s. ordinis politici, tum ecclesiastici, ad unum idemque publicum bonum amicè conspirantis, fuisse concreditam, e praxi veteris Ecclesiae Judaicae perspici potest. Quamquam omni procul dubio est, Mosen, Josuam et quosdam Judices, tanquam Duces Reipublicae Hebraeorum, nec non ipsos Reges pios, ut Monarchas eorum, et ante et post divisionem tam Monarchiae quàm Ecclesiae, saepè saepius per absolutam auctoritatem, desuper sibi concessam (fuere enim plerique simul Prophetae), conventus sacros convocasse: non defuerunt tamen occasiones, praesertim dum Respublica in Monarchiam redacta erat, ubi Reges in convocandis conventibus sacris, rerum Ecclesiae tractandarum causâ, publicum consilium peterent. Celeberrima hujus rei exempla, ut de aliis taceamus, exstant Davidis [1]), Salomonis [2]), Ezechiae [3]), et Josiae [4]), a quibus ejusmodi Concilia gravissimas ob causas celebrata sunt. Et post amissam Monarchiae dignitatem quidam Reipublicae Duces, ut Esdras et Nehemias, in rebus Ecclesiae procurandis a publico consilio non abhorruere. Quodsi verò Duces et Reges, quorum nonnulli simul Prophetae erant, adeoque auctoritate tam politicâ quàm ecclesiasticâ pollebant, non invitâ potestate ecclesiasticâ, conventus sacros indixere: multò minus auctoritas summi Pontificis aliorumque simul Ministrorum Ecclesiae, invitâ potestate politicâ, ad convocanda Concilia sufficere potuit, quamque parum ipsa per se hac in re viguerit, vel inde patet, quod ne ullum quidem unquam exemplum hujusmodi juris exstat. Immò exemplum Prophetae Heliae [5]) probat,

[1]) 1 Par. XIII, XV, XVI, conf. 2 Sam. VI.
[2]) 1 Reg. VIII, conf. 2 Par. V, 2—VII, 10.
[3]) 2 Par. XXIX—XXXI.
[4]) 2 Reg. XXII—XXIII, 25, conf. 2 Par. XXXIV—XXXV. 20.
[5]) 1 Reg. XVIII. 19.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

etiam absque impii regis, qualis ejus tempore erat Achab, voluntate convocationem sacrorum coetuum illicitam fuisse. Neque natura rei alium ordinem admittit; sed quàm ratio Ecclesiae respectu Monarchiae, tam ratio Monarchiae respectu Ecclesiae mutuum requirit consensum. Atque hanc fuisse praxin veteris Ecclesiae Judaicae in convocandis Conciliis, e sacrâ Historiâ liquidò patet.

Ejusmodi potestas coetus sacros convocandi, veteris Ecclesiae judaicae praxi sancita, etiam in praxi christianae Ecclesiae primaevae totam vim suam retinuit. Tametsi enim congregatio synodi Apostolicae [1]), nec non Conciliorum, quae deinceps trium intervallo saeculorum convocata fuere [2]), penes solos Ministros Ecclesiae eorumque mutuum consensum erat; tamen exclusio Imperatorum ab illis conventibus tunc temporis necessaria (quippe qui alienae fuere Religionis) durabat tamdiu, donec Ecclesia Christi tutores ac defensores, ad modum veteris illius Ecclesiae, nacta esset in Imperatoribus. Inde verò et Ecclesia christianorum eandem ferè praxin, ac olim fuerat, in convocandis Conciliis obtinuit. Namque usquedum Ecclesia Christi haud erat scissa, nec non dominium politicum plus aut minus unitatem redolebat, praeter nonnulla provincialia, omnia oecumenica Concilia (quorum prima tantum septem ab orientali Ecclesiâ pro talibus semper habita sunt) ex unanimi Patrum s. Ministrorum Ecclesiae nec non christianorum Imperatorum consensu fuisse convocata, ex Annalibus Ecclesiasticis manifestò apparet. Et quidem: primum Concilium oecumenicum Nicaenum I ab Imperatore Constantino Magno [3]); secundum Concilium oecumenicum Constanti-

[1]) Act. XV.

[2]) Vid. Euseb. Hist Eccl. Lib. V, VI, VII. sqq.

[3]) Vid. Euseb. Hist. Eccl. Lib. X, c. 6. et de vit. Constant. Lib. III. c. 6. Ruffin. Hist. Eccl. Lib. 1. c. 1. Socrat. Hist. Eccl. Lib. 1. c. 6. Theodoret. Hist. Eccl. Lib. 1. c. 7 et. 9. Sozom. Hist. Eccl. Lib. 1. c. 16.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

nopolitanum I ab Imperatore Theodosio seniore [1]); tertium Concilium oecumenicum Ephesinum ab Imperatore Theodosio juniore [2]); quartum Concilium oecumenicum Chalcedonense ab Imperatore Marciano [3]); quintum Concilium oecumenicum Constantinopolitanum II ab Imperatore Iustiniano [4]); sextum Concilium oecumenicum Constantinopolitanum III ab Imperatore Constantino Pogonato [5]); quinisextum Trullanum ab Imperatore Iustiniano Rinothmeto [6]); dein septimum Concilium oecumenicum Nicaenum II ab Imperatrice Irene et filio ejus Constantino [7]),—petentibus ac consentientibus simul Episcopis, convocata sunt. Quapropter et in primaevâ Ecclesia christianâ, perinde ac in veteri Ecclesiâ judaicâ, potestatem convocandi Concilia, ad res Ecclesiae consultandas, neque soli juri Politico, neque soli juri Ecclesiastico, sed toti simul Ecclesiae, nimirum, voluntati et consensui utriusque statûs s. ordinis hominum, quibus cura Religionis concredita est, in unum idemque publicum bonum conspirantium, commissam fuisse, nemi nem diffiteri par est.

Peccant igitur manifestò illae Ecclesiae recentiores, quae aut ad solum Pontificem summum, aut ad solum Imperatorem sive Regem seu quemcunque alium imperium politicum tenentem cogendi Concilia potestatem referunt.

Nostra Sancta et orthodoxa Ecclesia Graeco-Rossica a consuetudine veteris Ecclesiae, tum Judaicae, tum christianae, hac in re minimè recessit, imò recentioribus temporibus, ab

---

[1]) Vid. Socrat. Lib. V. c. 8 Theodoret. Lib. V. c. 9. Sozom. Lib. VII. c. 7.

[2]) Vid. Socrat. Lib. VII. c. 33. Evag. Hist. Eccl. Lib. 1. c. 3.

[3]) Vid. Evag. Lib. II. c. 2.

[4]) Vid. eund. Evad. Lib. IV. c. 37.

[5]) Vid. Ioan. Zonar. Comment. in Canon. Apost. et Concil. vid. Concil. laud.

[6]) Ibid. vid. suo loco.

[7]) Ibid. vid. Concil. memorat. et al. His omnibus citatis superaddi possunt Acta Conciliorum Tom. I, II, III, IV, V, VI, VII.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

aetate PETRI I, propius ad illam accessit. Inde enim ab ipsis incunabulis suis, quando regimen ejus penes Patriarcham Constantinopolitanum fuerat, dein ab anno 1589 sub proprio Patriarchâ, in dubiis et arduis rebus, Concilia generalia s. nationalia (de particularibus s. provincialibus, quibus celebrandis sola auctoritas Ministrorum Ecclesiae et olim sufficiebat et nunc potest sufficere, non est nobis sermo), quae totam totius Regni Rossici Ecclesiam repraesentabant, non nisi mutuo consensu Magnorum Principum et Regum cum Metropolitis et Patriarchis, aut horum cum illis celebrata fuere, ac tandem 1721 anno Sanctissima Synodus, cui totius Rossicae Ecclesiae omnis administratio concrédita, semel et in perpetuum instituta est [1]). Hoc loco vel maximè interest, ut rationem convocationis s. institutionis celeberrimae Synodi illius, quae omnibus in Ecclesiâ Rossicâ synodis amplius convocandis finem abinde posuit, Regulamento, tanquam fundamentali Statuto Canonico, nixi dispiciamus.

Utut certum ratumque est, s. Sanctam Synodum Rossicam auctoritate Regis, ut Monarchae Rossorum, convocatam s. institutam esse; non invito tamen publico consilio hanc Magistratûs Ecclesiastici formam introductam esse, res ipsa omne dubium removet. Quippe priusquam haec synodus institueretur, conventum sacrum, qui ex ordine Primatum tum Ecclesiastico tum Politico, sub auspicio Ipsius Regis, conflatus erat, hac de re toto ferè anno prius disseruisse, e penultimis Regulamenti paginis quàm luculentissimè apparet. Sufficit, ut documenti causà, quae durante conventu illo peracta sint, in medium proferamus. «Cuncta ista» ibi legimus «hic scripta (Sta-

[1]) Quod quisquis, cui libet, ex Annalibus Rossicae Ecclesiae, aut strictìm e compendio Conciliorum ejus, a Candidato Theologiae D. Suchanow exarato (Историческое изслѣдованіе о соборахъ Россійскія церкви), perspicere potest.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

tutum nimirùm Canonicum ad instituendam sanctissimam Synodum ab inclyto Ministro Eccesiae Theophane Procopowicz, jussu PETRI PRIMI, exaratum) antea IPSE totius Rossiae MONARCHA, SUA REGIA SACRA MAIESTAS, in SUA praesentiâ lecta benevolè audire, deliberare et emendare non est gravatus, hujus 1720 anni Februarii 11 die. Postea ex SUAE MAIESTATIS mandato Eminentissimi Antistites et archimandritae simulque Regentis Senatus Collegae audita deliberantes, itidem emendaverant, ejusdem Februarii 23 die. Deinde, ut rata habeantur et absque ullâ mutatione adimpleantur, postquam tam Ministri Ecclesiae quàm Regentis Senatûs Collegae, qui praesto erant, subscripserant, IPSI etiam AUGUSTISSIMAE MAIESTATI placuit, ut SUA propriâ manu subscriberet» [1]). Ac deinceps subscriptio tum Ministrorum Ecclesiae, tum Collegarum Senatus, nec non Ipsius MONARCHAE sequitur. Immò haud paucus numerus illić exstat eorum Ecclesiae Ministrorum, qui huic conventui sacro non aderant, sed ad morem primaevae Ecclesiae et ut olìm erat [2]), factâ post rem ad optatum finem perductam annunciatione, annuentes litteras suas miserunt [3]). Quinetiam hanc Synodi nostrae institutionem Graecae quoque Ecclesiae Ministri litteris suis approbasse videntur, ut quondam Patriarchatum, licet testimonium difficile est inventu [4]), quod hac in re gravis est momenti. Quaproprer minimè abhorremus a veritate, dum rem hanc totius Ecclesiae consensu peractam esse affirmamus. Sacro-sanctam ergo Synodum Rossicam ex toto adinstar Conciliorum Ecclesiae, tam veteris judaicae, quam christianae

---

[1]) Vid. Духов. Реглам. pag. 113, nec non 114 et 115.

[2]) Vid. exempli causa Act. XV. 22 seqq. ifem Euseb. de vit. Const. Lib. III. c. 5. 14. 18.

[3]) Vid. Духов. Реглам. pag. 115—119.

[4]) Vid. caeterum Журналъ Петра Великаго suo loco.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

primaevae, adeoque omnino legitimè convocatam et institutam esse, jure meritoque asseri potest, prout Ipse MONARCHA in edicto suo «...Hanc ob causam» inquit «Regum, qui superiorum temporum memoriâ, in Veteri et Novo Testamento, verâ pietatis laude floruerant, exemplum aemulati, curam ordinis etiam Ecclesiastici ad meliora reducendi suscepimus. Ad hanc vero rem praestandam, praeter Magistratum ex multis personis conflatum, nulla ratio NOBIS visa est commodior. Quare instituimus Ecclesiasticum Collegium, id est, Synodum omnia totius Rossicae Ecclesiae negotia moderaturam» [1])....

2.

UTRUM ADSINT SACRO-SANCTAE SYNODO ROSSICAE LEGITIMA MEMBRA SUB LEGITIMO PRAESIDE?

Iam supra obiter innuimus, potestatem Magistratûs Ecclesiastici Ministris Ecclesiae competere, summam autem et quasi divinam illius auctoritatem in Conciliis s. Synodis consistere. Proinde ejusmodi conventibus sacris, legitimè convocatis, etiam legitima membra sub legitimo Praeside adsint, necesse est. Quaeritur itaque, quaenam sint haec membra et quisnam ille Praeses?

Quum in Ecclesiâ dentur docentes et discentes, administrantes et qui horum administrationi subsunt; hinc Ecclesia rectè distribui solet in Syntheticam et Repraesentativam. Jllam constituunt omnes cujuscunque statûs et ordinis fideles. Haec autem est coetus Rectorum et Doctorum Ecclesiae, ad illius res procurandas convocatus. Atque huc referri solent Consilia s. Synodi. Exinde jam licet augurari de statu quaestionis nostrae.

[1]) Vid. Духов. Реглам. pag. 2.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Legitima membra Ecclesiae Repraesentativae, vices Collectivae Ecclesiae gerentis, sunt ejusmodi personae, quae ad res ecclesiasticas dijudicandas ex ordine ecclesiastico eliguntur quaeque jure suffragii decisivi gaudent. In horum idcirco numerum solos Episcopos cum praecipuis ex inferiori sacerdotii classe, id est, solos Pastores et Doctores venire posse, vel inde patet, quod his solis rectè tractare verbum veritatis [1]) incumbat. Ita enimvero Deus jam dudum per Prophetam ad totum Israelem locutus est: si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris; surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis... quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem [2]). Et nunc per Apostolum Ministros Ecclesiae monet: attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei [3]). Reliqua, quae innumera ferè hac de re in Scripturis reperiuntur, transeamus. Ipsa enim praxis utriusque Ecclesiae primitivae, tum judaicae, tum christianae, veritatem adsertionis nostrae quàm luculentissimè evincit. Insigne, verbi causà, exemplum suppeditat nobis hac in re, praeter alia Concilia, Synodus Apostolica [4]), ubi solos Apostolos et Presbyteros jure suffragii decisivi gavisos esse, e textu sacro solidè demonstratur. Nam imprimis quod Apostoli et Presbyteri duntaxat vocati sint ad constituendam hanc Synodum, patet ex eo, quod ibi dicitur: convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc. Deinde quod non modo Apostoli sententias tulerint, sed et Presbyteri con-

---

[1]) 2 Tim. II. 15.

[2]) Deut. XVII. 8, 9. conf. Mal. II. 7.

[3]) Act. XX. 28.

[4]) Ibid. XV.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

silii participes fuerint, colligitur et ex eorum invitatione et ex verbis illis: cum autem magna disquisitio fieret, quae verba protinus sententiae Apostolorum sequuntur. Tandem quod nemo praeter Apostolos et Presbyteros de hac re consultaverit, patet e continuatione textûs; nam post Petri sententiam mox additur: tacuit autem omnis multitudo, et audiebant Barnabam et Paulum; horum narrationem statim excipiunt verba: et postquam conticuissent, nimirùm Barnabas et Paulus, respondit Jacobus, et jamjam, finitâ Jacobi oratione, subjungitur: tunc placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesiâ. Et in omnibus Conciliis, quae olim legitimè celebrata fuere, calculum decidendarum rerum non nisi penes Ministros Ecclesiae fuisse, et s. Litterae et Annales Ecclesiastici referunt. Inde jus et fas suffragia definitiva in Ecclesiâ Repraesentativâ ferre, praeter solos Ministros Ecclesiae, in neminem quadrare posse, licet eidem coetui sacro interesse (ut semper in Conciliis interfuere) etiam saecularis statûs hominibus haud est illicitum, manifestum est.

Porro, quid nobis de Praeside legitimo Repraesentativae Ecclesiae sentiendum sit, inquiramus. Cûm Deus, qui cunctis quovis momento providet [1]), Christum dederit caput supra omnem Ecclesiam [2]), qui nobiscum est omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi [3]), cùmque Christus ante adscensionem suam in coelos Spiritum Sanctum s. Paracletum mittere pollicitus sit, ut maneat nobiscum in aeternum [4]), qui post Ejus ascen-

---

[1]) Act. XVII. 28.
[2]) Eph. 1, 22. conf. IV, 15, V, 22. Col. 1, 18, II, 10. Eph. II, 20.
[3]) Matth. XVIII, 20.
[4]) Ioan. XIV, 16, 26, XV, 26, XVI, 7, 13. Luc. XXIV, 49. Act. I, 4, 8.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

sionem reverà missus est [1]); hinc Summum in nomine Christi congregatae Ecclesiae Repraesentativae Praesidem, licet invisibilem, Summum Deum, et quidem: Deum Patrem [2]), Deum Filium [3]) et Deum Spiritum Sanctum [4]) confiteri par est. Atque hujus Supremi Praesidis, cujus consilium in aeternum manet [5]), auxilium in quovis casu gravi quamlibet Ecclesiam vel maximè expetere oportet. Quod vero attinet ad Praesidem visibilem, eum ex ipsis Ecclesiae Repraesentativae membris, quibus jus suffragii definitivi competit, esse debere, jam res ipsa docet. Et quidem officium hoc committendum est illi, qui eruditione, rerum usu, prudentiâ, auctoritate et aliis virtutibus inter caeteros eminet, licet tenendum est, ejusmodi primatum non potestatis, quod prorsus abhorret a spiritu Christi [6]), sed ordinis esse oportere, ut jure suffragium ferendi non nisi pari et aequali cum caeteris membris gaudeat, quod solitum est dici: primus in paribus. Hanc rem sat comprobant et Synodus Hierosolymitana, ubi inter Apostolos et Presbyteros Apostolus Petrus Praeses fuit (tanquam aetate et vocatione senior), cujusque sententia in decidenda controversiâ paris erat momenti cum sententiis caeterorum Apostolorum (immo inter varias sententias suffragium apostoli Jacobi receptum erat), et omnia, quae deinceps adinstar hujus celebrata erant, Concilia, in quibus praesedisse semper Ecclesiae Ministros, qui optimè meriti sunt de eâ, quosve potestatem in componendis rebus ecclesiasticis irrefragabilem nunquam sibi vindicasse, post multas de hac re erudi-

---

[1]) Act. I, 1—4.
[2]) Psal. LXXXI, 1.
[3]) Matth. XVIII, 20.
[4]) Act. XV, 28.
[5]) Psal. XXXII, 11.
[6]) Matth. XX, 25—28. Mar. X, 42—45. Luc. XXII, 24—27. Ioan XIII, 15.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

torum contentiones certum deque omni dubio exemptum remansit. Neque offendere nos debet exemplum quorundam Imperatorum, qui praesedisse dicuntur nonnullis Conciliis [1]). Theodosius junior in epistolâ ad Synodum Ephesinam [2]) de se ipso sic loquitur: «Illicitum est eum, qui non sit in ordine Sanctissimorum Episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus». Unde Imperatores aliosque Christianos Principes Praesidum quidem munus ordinis legumque vigoris conservandi causâ in Conciliis obire potuisse, a disceptatione vero de fidei dogmatibus planè alienos fuisse, haud injuriâ colligi potest. Sed hac de re infrà.

Ne a rectâ viâ aberremus, tutius agamus, si rationem relationis Monarcharum ad res ecclesiasticas exploremus. Dum autem ad Ecclesiam Veteris Testamenti attendimus, curam Religionis Monarchis incumbere, deprehendimus imprimis ex eo, quod iis divinitûs commissa sit custodia legis divinae [3]); porro e variis denominationibus et encomiis: dicuntur enim Patres [4]), Nutricii et Nutrices [5]), Pastores [6]), nec non Dii [7]); dein ex diversis exemplis Regum Israelis, quorum alii laudantur in scripturis ob diligentem Religionis curam [8]),

---

[1]) Vid. exempli gratia Euseb. de vit. Constant. Lib. III c. 6.

[2]) Vid. Codicem Theodosianum suo loco.

[3]) Deut. XVII, 18, 19, Vid. in Cod. Hebr. conf. Ios. 1, 7, Vid. in Cod. Heb. 1 Reg. II, 3.

[4]) 1 Sam. XII, 15. Vid. in Cod. Hebr.

[5]) Esa. XLIX, 23.

[6]) Ibid. XLIV, 23. Vid. in Cod. Heb. Ierem. XLIX, 19.

[7]) Exod. XXI, 6, vid. in Cod. Hebr. Psal. LXXXI, 1.

[8]) Verbi causa—ut taceamus de Davide et Salomone, qui ubique da exemplum pietatis sistuntur. Iosaphat (1 Reg. XXII, 16. conf. 2 Par. XVII, 6, XIX). Ezechias (2 Reg. XVIII, 4. conf. 2 Par. XXIX—XXXI), Iosias (2 Reg. XXIII, 1—25. conf. 2 Par. XXXIV, XXXV, 1—20).

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

alii vero ob toleratam idololatriam vituperantur [1]). His addi possunt, quae probant necessitatem relationis Magistratus Ecclesiastici ad Magistratum Politicum, nec non insignem Monarcharum versus Clerum potestatem ostendunt [2]). Nihilominus, illam relationem ac potestatem certis limitibus contineri debere, tum e praecepto divino [3]), tum e variis exemplis [4]) sat liquet..

In Ecclesiâ Novi Testamenti, post repetitum Apostoli monitum, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit [5]), tenenda est hoc respectu praxis earum aetatum, in quibus Christi Ecclesia Imperatores fideles jam nacta est. Haec autem praxis nos docet, Christianos Imperatores, adinstar Regum Jsraelis, semper Ecclesiae Christianae curam gessisse, quod argumenta e Synodis, Decretis et Diplomatibus Ipsorum petita [6]) vel maximè probant. Quinetiam haud pauci Imperatores, ut Constantinus Magnus, Theodosius Senior,

---

[1]) Quinetiam ipse non nunquam Asa (1 Reg. XV, 14. conf. 2 Par. XV, 17), Iosaphat (1 Reg. XXII, 43. conf. 2 Par. XX, 33), Ioas (2 Reg. XXII, 3. conf. 2 Par. XXIV, 18), quos interim caedem Littera S. ad classem priorem referunt, et quidem Asam (1 Red. XV, 12—15. conf. 2 Par. XIV, 3—5, XV. (8 sqq.), Iosaphatum (1 Reg. XXII, 46. conf. 2 Par. XVII, 6, XIX), Ioasum 2 Reg. XII, 4, sq. conf. 2 Par. XXIV, 4 sqq.), nedum dicam jam de Ieroboamo, Achabo, Achazo, Manasse, Amone, qui saepè sacpius ut exempla impietatis reprehenduntur.

[2]) 1 Sam. XXVIII, 3, 9. Psal. C. 8. nec non 1 Reg. II, 27, 35.

[3]) Deut. XVII, 9, 12.

[4]) Ut Davidis (2 Sam. VII, 2 sqq. 1 Par. XIII, 1—4, Qsiae (2 Par. XXVI, 16—21), Ezechiae (2 Par. XXX. 2—4).

[5]) Rom. XIII 1 sqq.

[6]) Vid. Opusculum Theophanis Prokopowicz sub titulo Аргументы изъ соборовъ, декретовъ и дипломовъ императорскихъ, которыми доказывается, что императоры имѣли попеченіе о церкви, quod quidem in manuscriptis duntaxat reservatur.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Theodosius Junior [1]), Justinianus [2]), plurima statuta in usum et commodum Ecclesiae posuere. Quamvis haec statuta non nunquam ad interiorem Ecclesiae administrationem spectare videntur, attamen non carent certis limitibus. Theodosius Junior in epistolâ ad Ephesinam Synodum allegatâ, de qua jam suprà egimus, et Constantinus Magnus, qui suam Ecclesiae administrationem exteriorem episcopatum nuncupabat [3]), aperte hanc rem confessi sunt. Ex omnibus his colligi licet, curam Religionis Monarchis a Deo et Ecclesiâ omnino esse commissam, ita tamen, ut certis hac in re limitibus potestas ipsorum contineatur. Limites autem ejusmodi exteriorem inter et interiorem administrationem Ecclesiae intercedere, jus et fas est dictu. His de causis Christiani Imperatores aliique Civitatum Domini Ecclesiae Repraesentativae non tam Praesides, quàm Patroni s. Tutores et Defensores possunt (utì ac solitum est) jure meritoque salutari.

Errant ergo apertè, qui aut adsistentiam in Repraesentativâ Ecclesiâ solis Praelatis, vel cujuscunque status hominibus adscribant, aut Praesidi illius Summo Pontifici potestatem supremam, ita ut absque ejus suffragio consilium totius Ecclesiae nil valere possit, deferant, vel Regibus omnem rerum ecclesiasticarum adminisirationem tribuant.

Graeco-Rossica Ecclesia nostra omnibus retro aetatibus retinuit, nunceque retinet, quidquid ab Ecclesiâ Primitivâ receperat. Immo ad praxin Ecclesiae hujus Sancta et Orthodoxa Ecclesia nostra hac in re, de qua nobis sermo est, paucis abhinc annis, videlicet ab institutione apud se sacro-sanctae

---

[1]) Vid. Codicem, sic dictum, Theodosianum, ubi orationes, epistolae et edicta Imperatorum a Constantino Magno ad Theodosium Iunioren in unum redacta sunt.

[2]) Vid. Codicem Iustinianeum.

[3]) Vid. Euseb. de vit. Constant. Lib. IV, c. 42.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Synodi perpetuae, etiam atque etiam sese appulit, quippe cujus Synodi tum membra, tum Praeses quâm apprimè suprà expositis principiis respondent. Et quidem.

Membra istius Collegii Ecclesiastici ex edicto Monarchae hunc in modum assignantur: «Collegas autem ad hoc collegium constituendum designamus, qui hìc recensentur: unum Praesidem, duos qui Praesidis vicem gerant, quatuor Consiliarios et quatuor Assessores» [1]). Fortasse in dubium vocari possit, cujusnam sint status et ordinis hujusmodi Collegae, quippe de quo nulla ibi datur mentio; ast e Regulamento jus huic Collegio Ecclesiastico adsistendi non nisi ad solos Ministros Ecclesiae vindicari patet. Ita enim eâ de re agitur: «Ad Ecclesiastici Regiminis corpus componendum duodecim personae sufficiunt, quae quidem ut diversi sint ordinis (inter ipsos nimirum, ut ex infrà dictis patet, Ministros Ecclesiae, personas unius ejusdemque status ecclesiastici), oportet: 1-mo Metropolitae, Archiepiscopi vel Episcopi; 2-do Archimandritae; 3 tio Hegumeni; 4-to Protopresbyteri. Quorum tres e primo ordine, reliqui ex aliis ordinibus, qui digni judicabuntur, eligendi sunt» [2]).

---

[1]) Vid. Духов. Реглам. pag. 3. Not. Nostro tempore membra s. Sanctae Synodi titulis hujusmodi carent, quibus alii successerunt, ita ut Praeses—Primarius Sanctissimae Synodi Socius s. Membrum, omnes vero caeteri (qui nimirùm Praesidis vicem gerunt, Consiliarii et Assessores) praecisè Membra s. Socii illius vocari solcant, licet quo tempore et qua de causâ haec mutatio facta sit, haud certum est. Vid. caeterum Ист. Россійск. iерар. edit. 2 tom. 1 pag. 120. Ast tenendum, ejusmodi mutatione nullam factam esse in ipsâ naturâ rei mutationem.

[2]) Vid. ibid. pag. 104. Not. Nunc membra s. Sanctae Synodi e primo nec non postremo tantummodò ordine eliguntur, praecipuè verò e primo. Qua de re suo etiam tempore Theophanes Prokopowicz disserunt atque mentem suam Synodo obtulit. Vid. Разсужденіе о присутствованіи въ св. Синодѣ большему числу изъ архіереевъ, представленіи е имъ (Прокоповичемъ) на разсмотрѣніе Синоду 20 мая 1730 г. Conf. преосв. митрополита Евгенія Историческій Словарь писателей греко-россійскія церкви. стр, 319. Quod autem inter hunc

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

De Praeside illius Collegii Ecclesiastici haec fas est dictu. Quum Sancta et Orthodoxa Ecclesia nostra neminem, praeter Jesum Christum, caput Ecclesiae confiteatur; summum Repraesentativae quoque Ecclesiae suae Praesidem solum Jesum Christum, seu potius, Deum Trinum jure meritoque agnoscit. Quocirca errant quidam [1]), dum inquiunt, s. Sanctae Synodi Rossicae caput esse Jmperatorem. Quippe ne vestigium quidem ullibi iu Regulamento hujus opinionis inveniri potest, neque unquam Christianissimi Jmperatores Rossorum ejusmodi titulum ecclesiasticum, qui in solum Jesum Christum quadrat [2]), arripiebant, sed saepè saepius Primogeniti Filii Ecclesiae audiunt.

Quum porro haec Ecclesia Repraesentativa sit visibilis, praeter Summum illum invisibilem, etiam visibilem Praesidem non immeritò admittit [3]). Hic autem Praeses perpetuo audit Urbis Regiae metropolita, qui in Ecclesiae Rossicae hierarchia dignitate et auctoritate omnes superat. Tenendum tamen est, potestatem ejus, seorsim spectatam, in dirigendis rebus ecclesiacticis non majoris momenti esse, quàm caeterorum quoque Collegarum. Sic enim edictum Monarchae sonat hac de re:

(praesentem) et illum (praecedentem) locum in numero personarum, quibus regimen committitur, deprehenditur dissensio; ea conciliari posse videtur hoc pacto, quod posteriori casu inter alios forsan Primarius etiam Secretarius s. Referendarius (qui ox ordine personarum saecularium destinatur) intelligendus est, priori autem casu Collegis ille non accersitur. Neque enim ullo Collegio administrativo is, qui est ab Actis illius, in numerum suffragantium s. Collegarum refertur.

[1]) Vid. Mariani Dobmayer Systema Theologiae Catholicae. Tom IV, pag. 167 et 168. En inclyti Theologi hujus verba: «Ruthenica (Ecclesia) olim Patriarcho Constantinopolitano subjecta, ab anno 1589 proprio Patriarchà regi coepit; ast juxta institutionem Petri I a Synodo Sanctà Sanctissimà et dirigente, cujus quidem caput est Imperator, inde ab anno 1721 gubernatur».

[2]) Eph. I, 22. conf. IV, 15, V, 23. Col. I, 18, II, 10. Fph. II, 20.

[3]) Vid. Духов. Регламм. pag. 3.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

«Quum vero in Statuti hujus primâ parte, septimo et octavo paragraphis commemoratum fuerit, Praesidem, si fortè se gravis aclicujus sceleris alligaverit, judicio Collegarum suorum, id est, ejusdem Collegii iri subjectum; eâ gratiâ decernimus, ut Praeses unicam, eamque aliorum parem et aequalem, sententiam ferendi jure gaudeat [1]). Huic superaddi potest nota, quae titulo «Sanctissimae Synodi Rossicae», a Collegis ejus posito et propriâ AUGUSTISSIMAE REGIAE MAIESTATIS manu approbato, adjecta est, quaeque sic se habet: «Hic porro titulus Sanctissimus (sanctissimae Synodi vel Sanctissimae Regentis Synodi), cum toti adaequato Collegio sit proprius, nulli separatim Collegae hujus Synedrii potest tribui» [2]).

Demum, quae sit Monarcham inter et hanc Synodum relatio, ex sequentibus patebit. Quod Jpse non sit illius Praeses, et res ipsa et quae suprà dicta sunt apertè docent. Hoc autem non obstat, quominus curam religionis, quae Jpsi, ut Monarchae, a Deo commissa est, gerat; sed tantummodo innuit certos supremae potestatis limites in administrandâ Ecclesiâ. Atque Jmperatores Russorum hac in re a praxi Primaevae Ecclesiae nunquam discedunt. Sufficiat, si in exemplum Jpsum hujusce Collegii Ecclesiastici Jnstitutorem proferamus. Quippè qui inter maximam Ecclesiae Rossicae reformationem (in exteriori non nisi administratione), quae ab Jpso peracta est, dum a Sorbonicis Doctoribus, academiam horum visitans, de conciliandâ Rossorum Ecclesiâ cum Romanâ sciscitaretur, ut consultissimus divini humanique juris Jmperator responsum eis (prout ipsi doctores in scripto suo testantur) dedit: «Jntercedere quidem inter utramque Ecclesiam aliquot dissensionis capita, quorum duo indicavit: suum vero non esse lites

---

[1]) Vid. ibid, pag. eadem. conf. locum laudatum pag. 18 et 19.

[2]) Vid. Духов. Регламм. pag. 121.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

istas (quae ad interiorem jam administrationem Ecclesiae spectant) componere... Caeterum, si cum Ecclesiae suae episcopis rem scripto conferre voluerint doctores Sorbonici, facturum se auctoritate suâ, ut illos ad rescribendum adducat» [1]). Quodsi autem omnia, quae fiunt in illo Colegio Ecclesiastico, non invito Monarchâ fieri soleant, sed ex Ejus confirmatione, id requirit ipsa ratio Monarchiae Atque hoc sensu intelligenda sunt verba, quae interim in juramento Collegarum citantur: «...Confiteor porro et jurejurando assevero Supremum hujusce Collegii Ecclesiastici Judicem esse Jpsum totius Rossiae Monarcham, Dominum Nostrum Clementissimum...» [2]). Jnde certè jam liquet, Monarchas nostros potestatem suam in rebus ecclesiasticis neque nimis restringere, neque nimis extendere, sed certis, prout jus et fas est, limitibus continere, ut ita Patroni s. Tutores ac Defensores Ecclesiae jure meritoque salutari soleant.

Haec de membris et Praeside sacro-Sanctae Synodi Rossicae.

3.

UTRUM SACRO-SANCTA SYNODUS ROSSICA IN OBEUNDIS MUNIIS SUIS LEGITIMA VI ET EFFICACIA GAUDEAT, NEC NE?

Restat, ut de vi et efficaciâ s. Sanctae Synodi Rossicae, quâ in obeundis muniis suis polleat, verba faciamus.

Quae sint munia Ecclesiae Repraesentativae, non est opus, ut moneamus. Omnia enim, quae ad Ecclesiam pertinent, huc

---

[1]) Vid. Opusculum Francisci Buddaei sub titulo: Ecclesia Romana cum Ruthenicâ irreconciliabilis. pag. 5. Conf. Журналъ Петра Великаго. Часть II, подъ 1717 год. и Исторію съ венеціанскои част. II, стр. 107.

[2]) Vid. Духов. Регламм. pag. 8.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

referuntur. Nostrum interest, ut potestatem ejus in illis obeundis ostendamus.

Siquidem Ecclesia Repraesentativa vices totius Ecclesiae gerat, juribus certis in obeundis muniis suis gaudeat, necesse est. Haec autem jura praecipua ad tres classes revocari possunt, et quidem: ut praeprimis S. Scripturam ab arbitrariis et pravis interpretationibus tueatur; quo pertinent: sedatio et extirpatio haeresium nec non sapiens providaque dissensionum et schismatum Ecclesiae declinatio. Oportet episcopum esse, inquit Apostolus, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos, qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui et seductores, quibus oportet os obturare [1]). Deinde ut sedulo promoveat disciplinam ecclesiasticam et procuret caeremonias, ut omnia decenter et secundum ordinem fiant [2]). Huc spectant: sincerae doctrinae confirmatio s. studium Litterarum, institutio rituum sacrorum et oblitteratio vel substitutio eorum, quae ἀδιαφορα dicuntur. Tandem ut ferat judicium contra obstinatos peccatores, prohibendo a sacramentorum communione omnibusque Ecclesiae juribus privando. Dic Ecclesiae, Christus praecipit, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus [3]). Haec sunt legitimae Repraesentativae Ecclesiae legitíma jura, quae S. Scripturâ, sanctionibus S. Conciliorum s. antiquae Repraesentativae Ecclesiae, nec non legibus civilibus, quae a S. Srripturâ non abhorrent, niti solent atque debent.

---

[1]) Tit. I, 9—11.
[2]) 1 Cor. XIV, 40.
[3]) Matth XVIII. 17.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Quanta quamque magna horum et hisce similium Ecclesiae Repraesentativae jurium vis et efficacia olim fuerit, s. Litterae et Annales Ecclesiastici sat superque docent. Jussum Domini, ut moriatur, qui non obediet decretis illius Ecclesiae [1]), exempla Synodorum Canonicarum, quarum statuta vim obligantem in conscientiâ habuerunt nunceque haud pauca habent [2]), praxis Conciliorum Ecclesiasticorum post Apostolorum tempora adinstar priorum celebratorum [3]), quibus vel maxima auctoritas in administrandâ Ecclesiâ concessa erat, quae anathemate, quasi fulmine, haereticos percutiebant, quorumve canones plerique valorem in posterum quoque haud perdiderunt, imo totam vim suam in rebus omnium ferè Ecclesiarum procurandis exserunt, jam affatim rem, de qua nobis sermo est, explanant. Ne diutius his insistamus, adjiciamus quorundam Patrum Ecclesiae egregia eam in rem testimonia, quae stent pro reliquis. Jta s. Athanasius, peractâ primâ oecumenica Synodo, «Verbum Domini», vocem extulit, «per Oecumenicam Nicaeae Synodum manet in aeternum» [4]). S. autem Ambrosius scribit: «sequor tractatum Nicaeni Concilii, a quo me nec mors, nec gladius poterit separare» [5]). Gregorius vero Magnus, se venerari, affirmat, quatuor prima Concilia, sicut quatuor Evangelia [6]). Et omnium Patrum mens est: non posse inter Orthodoxos computari eos, qui resistunt s. Sanct s Synodis. Obliviscendum tamen non est, ut dudum jam probatum est a nobis, Ecclesiam Repraesentativam omnibus retro aetatibus summam vim et potestatem suam non nisi sub auspicio et

[1]) Deut XVII, 12.

[2]) Uti Act XV, 28, XVI, 4.

[3]) Quorum septem Oecumenica et novem Particularia tantummodò ab Ecclesia Orientali recipiuntur.

[4]) Epist ad Episcopos Africanos

[5]) Epist 32

[6]) Lib 1, Epist 24

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

tutelâ fidelium Monarcharum retinuisse. Jta verbi causâ Justinianus, dum summam Jmperii Romani tenebat, decrevit, ut vim legum obtinerent omnes Ecclesiastici canones, qui a sanctis quatuor oecumenicis Conciliis vel constituti fuerant, vel confirmati, scilicet a Nicaeno I, Constantinopolitano I, Ephesino et Chalcedonensi [1]). Quinetiam hic peritissimus legum Jmperator eâ fuit sententiâ, leges nempe Civiles non praecedere debere, sed sequi Ecclesiasticas; inquit enim: «...secundum sacras et divinas regulas, quas etiam nostrae sequi non dedignantur leges..» [2]). Unde gravitatem s. Conciliorum in Ecclesiâ Orthodoxâ, ut par est, semper eminuisse et saepè saepius in maximis rerum perturbationibus, ad dissipandas errorum tenebras, quasi lumen quoddam salutare illuxisse, palam est.

Recentioribus temporibus ejusmodi Judicia Ecclesiastica s. Cathedrae illae, ex quibus Christus Jpse, per homines docens et judicans, omnes fidei controversias litesque componit nec non omnem Ecclesiae administrandae curam gerit, pro diverso Ecclesiarum statu, diversa exstant, ita ut quaedam Ecclesiae majorem, quaedam minorem illis potestatem tribuant.

Nostra sancta et Orthodoxa Ecclesia Graeco-Rossia neque majorem neque minorem Sanctissimae Synodo suae potestatem vindicat, quàm quae olim penes Ecclesiam Repraesentativam fuerat, isthoc tamen discrimine, quod haec vim obligationis in universâ Ecclesiâ habuerit, illa vero non nisi in peculiari Ecclesiâ Rossica eam retineat.

---

[1]) Novell. CXXXI. Not. Haec Concilia quatuor ante ejus imperium celebrata, quintum Constantinopolitanum II eô regnante, reliqua sextum Constantinopolitanum III, quinisextum Trullanum, nec non septimum Nicaenum II post eum.

[2]) Novell. LXXXIII.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Jura enim, quae a nobis recensita et ad tres potissimum classes revocata sunt, omnia in Sanctissimam Synodum nostram quadrant atque eidem inter munia administrandae Ecclesiae ex toto imposita sunt. Tota pars secunda Regulamenti ac primum momentum tertiae eâ de re agunt, ita ut jus et judicandi, et leges ferendi, et puniendi huic Collegio Ecclesiastico competere, extra omne sit dubium [1]). Fundamentum horum jurium id mest, quod ipsa res postulat, nimirum, ut Statuti verbis utamur: «Lex Dei, quae in Sanctâ Scripturâ exhibetur, item Canones in s. Patrum Concillis asserti, et Civiles Constitutiones, a Dei verbo non abeuntes» [2]).

Dum autem de vi et efficaciâ eorundem nostrae Ecclesiae Repraesentativae jurium postremâ illius Statuti Canonici parte agitur, haec in censum veniunt: «Quantum vero attinet ad vim, quam Ecclesiastico Collegio AUGUSTJSSJMUS JMPERATOR ex supremâ SUA JMPEPATORJA potestate indulsit, de illâ luculenter constat non solum e peculiari SUAE JMPERATORJAE MAJESTATJS Regulamento huic praemisso mandato, sed etiam ex JMPERATORJO beneplacito, quod in Solutionibus infrà positis sese exseruit; quum nimirum POTENTJSSJMUS MONARCHA Quaestiones ab Ecclesiastico Collegio submissé SJBJ propositas expediens, benignam SUAM voluntatem propriae Manus subscriptione exprimeret, ipsique Collegio Ecclesiastico, ut Sanctissima Regens Synodus nuncupetur, titulum impertiretur» [3]). Quamobrem convertamus animum et oculos ad loca laudata. Et quidem.

Jn Edicto haec inter alia legimus: «Jn mandatis etiam damus, ut omnes Nostri fideles subditi, cujuscunque tandem sint ordinis, sive Spirituales, sive Seculares, Ecclesiasticum

[1]) Vid. pag 11—104. nec non 105—112.

[2]) Ibid pag. 10.

[3]) Vid. pag. 119 et 120.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

huncce Magistratum magnae auctoritatis magnaeque potestatis esse agnoscant. Ad illum in causis ecclesiasticis transigendis ultimo provocent, decreto decisioneque illius acquiescant; definitivâ illius sententiâ sibi satisfieri persuasum habeant; omnibus illius mandatis planè perfectèque obsequantur, sub metu ingentis poenae ob denegatum obsequium subeundae, habito ad alia Juridica Collegia respectu» [1]). En quàm magna, quamque latè patet Sanctissimae Regentis Synodi potestas, praesertim, si ad ultima illa verba, ubi poena vel minimum obsequium ei denegaturis ingens grandiorque respectu aliorum Collegiorum minatur, attendamus.

Jnter Quaestiones vero, primum JMPERATORJAE MAJESTATJ a Synodo in approbationem oblatas et post Solutionem propriâ JPSJUS manu subscriptas, haec quoad rem nostram occurrit thesis: «Ecclesiasticum autem Collegium honore, vi et potestate Patriarchae convenientibus, quinimo potioribus, utpote Synodus est praeditum» [2]). Quapropter potestas Synodi nostrae potestatem cujusvis patriarchae superat, ita ut hic ab illâ judicari possit [3]). Caetera silentio transeamus [4]).

Atque hanc Ecclesiastici Collegii nostri summam potestatem ipsa praxis vel maxime arguit. Totius enim Ecclesiae Rossicae, tam vasto Russorum Jmperio haerentis, guberna-

---

[1]) Vid. Духов. Реглам. pag. 2 et 3.

[2]) Ibid. pag. 121 et 122.

[3]) Vid. Opus Metropolitae Philareti sub titulo: Разговоры между испытующимъ и увѣреннымъ о православіи восточной греко-россійской церкви: pag. 156.

[4]) Possint et alia exempla adduci; sufficiat tamen ad quaedam duntaxat alludere. Ut inter articulos: Martii 15 die, 1721 anno, 4-tum; Novembris 19 die, 1721 anno, 5-tum et 25-tum; Aprilis 12 die, 1722 anno, 16-ti et 24-ti, prius oblatorum, explicatio, ubi quoad primum vide 1-mum et 3-tium, quoad alterum verò 5-tum et 12-tum puncta. Vid. ad calcem Regulamenti: Копія съ докладныхъ святѣйшаго Синода пунктовъ, и проч. pag. 223, 225, 228 et 229, 241, 246 et 247, 248 et 249, 251, 253.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

cula tenet ac omnia, quae ad illius pertinent administrationem, consultat, decernit et peragit. Jmmo pro ratione circumstantiarum jus ei competit, ex edicto Jpsius Jnstitutoris, locupletandi Statutum suum variis regulis, ut bonum Ecclesiae Patriaeque continuo promoveatur. «Collegii istius etiam est»,— haec sunt verba edicti—«ut Regulamentum suum novis in posterum regulis, quas variae variorum negotiorum circumstantiae sunt postulaturae, locupletatum curet: tamen hoc, non sine Nostrâ accedente approbatione, facere debet [1]). Atque temporis progressu ejusmodi regulae reapse addi solent, quarum quaedam etiam simul cum Regulamento typis nunc editae sunt [2]).

Huc insuper referri potest, quod Repraesentativa Ecclesia nostra in res summi momenti Politicas quoque influere soleat [3]). Jn medium proferamus vel duo exempla, ut certissimma, quorumve unum jam nostrâ aetate, imo novissimis diebus, evenit. Sermo nobis hic est de extra-ordinario judicio, quo de Alexea Petrowicz Regis Filio quondam [4]) et nuper de rebellionibus contra Coronam sententia lata est.

Tantam vero ac talem potestatem non nisi sub auspiciis Monarchae hocce Collegium Ecclesiasticum obtinet, ut ita vis ejus, ipsa per se haud parvi momenti [5]), sub praesidio Monarchae vel maximè se exserat, juxta verba Statuti haec: «cum certum sit, Collegium haud esse quandam factionem, quae clandestino consilio, privatis suis inserviendi commodis, inito coaluit, sed ex viris mandato et decreto Monarchae nec non aliorum etiam suffragio designatis et in commune bonum intentis constare: necessum est, ut magnum

---

[1]) Vid. Дух. Реглам. pag. 3.

[2]) Ibid. vid. Additamentum pag. 124—179. item 201—225.

[3]) Vid. locum nuper citatum pag. 228 et 229.

[4]) Vid. Журналъ Петра Великаго. Часть II, подъ 1718 год.

[5]) Vid. Духов. Реглам. pag. 14.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

gubernacula tenenti Collegio, praesertim inde, quod a Monarchâ dependet suamque illi acceptam fert originem, momentum accedere credamus» [1]).

Minimè igitur vis et efficacia Sanctissimae Synodi nostrae recedit ab illâ, qua olim Repraesentativa Ecclesia primaeva gavisa erat, nisi quod potestatem hanc modo in peculiarem Ecclesiam suam extendat.

Haec sunt tria momenta, unde omnis auctoritas Repraesentativae Ecclesiae, in Conciliis s. Synodis positae, pendet, nimirum: legitima convocatio s. institutio, legitima membra sub legitimo Praeside, nec non legitima vis et efficacia in obeundis muniis. Quandoquidem autem omnia haec in sacro-Sanctam Synodum Rossicam optimé quadrant: jure meritoque statuimus, auctoritatem istius Repraesentativae Ecclesiae in Ecclesiâ Rossicâ eandem esse, ac auctoritatem Antiquae Repraesentativae Ecclesiae in Ecclesiâ Primitivâ fuisse; quippe cujus praxis (ut jus et fas est) erat nobis obrussa s. lapis lydius, ad quem omnis legalitas Repraesentativae Ecclesiae examinata est. Tantum ergo abest, ut auctoritas sacro-Sanctae Synodi Rossicae ab auctoritate Antiquae Repraesentativae Ecclesiae recedat, ut potius ad illam propius propiusque accedat.

Quapropter non est dolendum nobis, quod in Ecclesiâ nostrâ Patriarchatui Successerit sanctissima Synodus, immo auctores hujus rei digni sunt, qui in aeternâ laude versentur. Siquidem ipsi Ecclesiae Apostolicae haud incertum fuit, nullam rationem Magistratus Ecclesiastici commodiorem esse Synodis, quem in finem 37-mo canone posuit, ut bis in anno fieret episcoporum Synodus, quod et prima Oecumenica Synodus canone 5-to combrobavit; sexta autem Synodus Oecumenica cum animadverteret, varias ob causas rem perarduam et multis difficultatibus impeditam esse tam fre-

---

[1]) Vid. Духов. Регламм. pag. 14 et 15.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

quentes conventus sacros, tametsi illi maximè sunt necessarii ad procurandas res ecclesiasticas, 8-vo canone praescripsit, ut semel saltèm quotannis fieret Synodus, quum bis non posset: nostra sancta et Orthodoxa Ecclesia ad mentem Primitivae Ecclesiae tam proximè sese appulit, instituta perenni Synodo, ut vix quid exoptabilius fieri possit. Utrumque etenim, tum necessitas tum difficultas hujus rei, sanè quam optimo modo reconciliatum est. Quibus addere licet legitimas regiminis hujus causas, quae primâ Regulamenti parte continentur [1]), et quae tam graves sunt, ut altera alterâ sit gravior.

Neque ipsa ratio Monarchiae commodiorem Magistratus Ecclesiastici rationem, nisi in perpetuâ Synodo, invenit. Quod in statuto Canonico rationibus instituendi illius Magistratus, in Ecclesiâ Rossicâ, quasi pro fundamento positum est, ut ex hisce verbis liquet: «Ne quis vero huncce Magistratum nullius esse usus sibi persuadeat, Ecclesiaeque, si summa rerum non secus atque penes singulos Episcopos stat, jus singulas sibi concreditas provincias sive dioeceses gubernandi esset penes unum, magis rem expedire somniet. Jn Regno siquidem praesertim Monarchico, quale audit Rossiacum, Regimen hocce multis Collegis conflatum, utpotè continuam Synodum seu Synedrion, praestantius illo regimine, quod unica sibi vindicat persona, et perfectius esse liquido constat ex rationibus, quae hić mox adferuntur» [2]), quasque jamjam innuimus et praecipuae a nobis adductae sunt.

Jam ipsa praxis commoda illa, quae Ecclesiae Patriaeque ex istiusmodi Magistratu Ecclesiastico fluunt, satis ostendit. Etenim si enumeranda sint omnia, quae ab illo instituta et peracta sunt, sincerè candideque fatendum est, Sanctissi-

---

[1]) Vid. Духов. Регламм. pag. 13—20.

[2]) Vid. Духов. Регламм. pag. 12 et 13.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

mam Synodum Rossicam intervallo unius saeculi multo plus meritam esse de Ecclesiâ suae Patriae, quam omnia ingenere Concilia praeteritorum octo saeculorum. Verè mitis animus Evangelii in omnibus ejus sanctionibus, nec non reprehensionibus et poenis hostibus Ecclesiae; venia peccatorum iis, quos eorum poenitet; provida circumspectio in dijudicandis casibus conscientiae; moderatio in emendando; indefessum studium promovendi omnia, quae ad bonum Ecclesiae Patriaeque spectant; patientia cum improbo labore in ipsis difficultatibus; fortitudo et magnitudo animi apostolica in agendo—haec sunt, quae characterem Sanctissimi Collegii illius constituunt, et si recenseantur omnia commoda, quibus amplificata est Ecclesia ab illo, vastissimum opus vix sufficiet. Quin ipsi extranei praeclara huic rei testimonia perhibent. Sufficiat provocare vel ad unum inclytum Theologum D. Marianum Dobmayer, qui, ubi de nostrâ Ecclesiâ agit, haec adnotat: «Ecclesiae Graecae Ruthenicae status florentior esse coepit ab aetate Petri I (anno 1725), qui etiam Clerum doctrinae studiosiorem esse jussit, ut adeo ab eo tempore satis peritos Religionis Doctores haec Ecclesia nacta sit. Ex his Theophanem Prokopowicz, Hieromonachum Platonem, Demetrium Sackenow (Sieczenow) [1]) et Ambrosium Archiepiscopum Moscoviensem heic nominasse sufficiat» [2]). Hodiernis autem temporibus, feliciter peractâ reformatione Scholarum Ecclesiasticarum, ad exemplar aliarum Nationum Europaearum, industriâ et sedulitate sollertitsimae Synodi illius, Ecclesia Russorum modo altius altiusque crescit et decrescere nescit, ut adeo faustum Jnstitutoris hujus Collegii Ecclesiastici omen [3]) jam cito ocyusve impletum sit.

---

[1]) Metropolita Novogrodensis et Petropolitanus nec non inclytus Orator ecclesiasticus.

[2]) Vid. ejus Systema Theologiae Catholicae. Tom. IV. pag. 168.

[3]) Vid. Духов. Регламм. pag. 85.

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua

Труды Киевской Духовной Академии

Sit itaque gloria in aeternum praeprimis SUMMO DEO TRJNO, Qui Christianissimo Monarchae hanc mentem indidit; sit gloria IMPERATORI PETPO MAGNO, Qui inditam sibi desuper mentem ad effectum perduxit; sit gloria ECCLESIAE, Quae coelitus insitam hanc mentem submissè recepit,—sit omnibus et singulis sacro-Sanctae Synodi Rossicae Sociis gloria in aeternum! Teneat illa totius Rossicae Ecclesiae gubernacula eousque, quousque haec militans in terris maneat! Quod faxit Deus Opt. Max. etiam atque etiam oramus!

Подготовлено Киевской Духовной Академией и Семинарией,
http://kdais.kiev.ua